

anno 1690 IV. Id. Jun. in una Ordinis Minorum s. Francisci de Observantia ad dub. III., postquam ad dub. II. declaraverat, quod pro B. M. V. Titulari, quocumque demum sub speciali Titulo Eccl. Deo in honorem B. M. V. dicata sit, sufficiat commemoratio communis ante Completorium post Vesperas Sabbati in eodem Brev. assignata. Quae quidem commemoratio communis Deiparae sufficit etiam, quando Eccl. nullum alium Sanctum in Contitularem habet, nam Patrono loci neque hoc in casu instituenda est commemoratio.

Atque ita decernere rata est et declarare. N. 5141. Die 23. Septembris 1848.

Festum Corporis Christi est Festum patronale Capellae majoris Seminarii Briocensis omnibus patentis fidelibus, in qua Missa sollemnis celebratur et Vesperae solemniter cantantur in omnibus dominicis et diebus festivis seu festivitatis; aliunde festum s. Brioci et festum Titularis, nec non Patroni Urbis et Dioecesis Briocensis. Igitur quaeritur: 1. Utrum Professores, nec non Seminaristae, in majoribus constituti Ordinibus, teneantur ad commemorationem festi Corporis Christi inter Suffragia ad Vesperas et Laudes in diebus semiduplicibus; et infra quaeritur: 2. Utrum iidem teneantur inter eadem Suffragia ad commemorationem s. Brioci Patroni et titularis Urbis et Dioecesis Briocensis?

S. eadem C. . . respondendum censuit: „Quoad primam quaestionem Affirmative, si agatur de Ecclesia publica; quoad secundam quaestionem Affirmative.“

Atque ita rescripsit. N. 5224 ad 6. Die 21. Julii 1855.

f) Ordinis.

Moniales ss. Visitationis teneri in recitatione Officii soliti commemora-

tionem s. Antistitis (s. Francisci Salsii) facere juxta rubr. 35. de commem. communibus et Suffragiis.

N. 2425 ad 6. die 19. Nov. 1667. Vd.: *Suffr.* (de s. Patrono etc. eccl. non cathedr. decr. n. 4401, 4909.)

8) Non sunt omittenda.

Ad dub.: An, si contingat fieri officium semid. in vigil. festi omnium SS., non obstante commemoratione vigiliae, dici debeant Suffragia comm. in laudibus, an vero sint omittenda?

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. N. 3827 ad 1. die 21. Junii 1710.

Vd.: *Suffr.* (in dom. privil.)

9) Sunt omittenda infra octavas

Vd.: *Suffr.* (in dom. privil.)

10) Parochiae.

Vd.: *Suffr.* (De Patrono etc. Dioecesis; de Patrono etc. civit.)

11) Recitationis modus.

Ad dub.: An in Feriis Quadrag., quatuor Temporum et Vigiliarum praeter preces feriales in Choro dicendas flexis genibus, etiam commemorationes Sanctorum seu Suffragia dicendae sint flexis genibus?

Et S. eadem Congr. respondendum censuit: „Affirmative.“

Atque ita rescribere censuit et declarare. N. 5152 ad 1. die 29. Martii 1851.

SUFFRAGIUM.

(Denominatio.)

Suffragium dicitur a suffragando seu auxiliando. Sic ex s. Thoma in 4. dist. 45. notat Sylvester in summa verb. Suffragium n. 1. Suffragium dupliciter accipitur. Primo, pro voto, quod in electionibus ad officia et dignitates dari solet et de Suffragio sic

accepto satis constat ex dictis sub verb. Electio. Secundo pro auxilio seu adjutorio spirituali, quo unus fidelis alterum adjuvat ad obtinendam a Deo remissionem poenae temporalis vel aliud simile, de quo suffragio sic sumpto hic sermo. Unde suffragium sic acceptum, est auxilium seu adjutorium spirituale, quod unus fidelis alteri praebet ad consequendam a Deo poenae temporalis remissionem.

SULAMITIS VEL SUNAMITIS.

Vd.: *Antiph.* 3. in 1. n. etc.

SUMPTIO.

1) SS. Hostiae post reposit. SSmi.

Vd.: *Instructio Clement.* §. XXXI. 24.; SS. Sacramentum (renovatio.)

2) SS. Hostiae veteris.

Vd.: SS. Sacramentum (Renovatio decr. n. 4623).

3) Hostiae dubie consecratae.

Vd.: SS. Sacr. Euchar. (particulae dubie consecratae.)

4) SS. Sanguinis.

a) Adoratio.

Ad dub.: An Sacerdos post sumptionem pretiosissimi Sanguinis debeat parumper immemorari in adoratione, prout fit post sumptionem sacrae Hostiae?

Et S. eadem C. . . rescribendum censuit: „Serventur Rubricae.“

Atque ita rescripsit, die 24. Septembris 1842. N. 4950 ad 2.

b) Cum Fistula.

Genuflesso ai sacri piedi della Santità Vostra il Sacerdote Simone Percovich Canonico Decano dell' insigne Capitolo di San Girolamo degl' Illirici

in Roma, devotamente espone, che da molti anni trovasi affetto da un' artiride dorsale, il che viene chiaramente provato dal certificato del medico e chirurgo curanti, si é nell' avanzata sua età di anni 65 reso quasi impotente a consumare il Preziosissimo Sangue Eucharistico a motivo dell' incurvatura del collo, che non può alzare, nè girare per alcun verso, non ostante un calice convesso appositamente fattogli. Presso un' impedimento si evidentemente fisico, obbliga in stretta coscienza l'umile Oratore per la debita riverenza di un tanto Sacramento, di ricorrere alla somma paterna clemenza della Santità Vostra per supplicarla della special grazia di poter usare del cannucchio assorbente nella sacra Consumazione. Che ec. „SSmus D. N. Pius Papa IX. referente me subscripto S. R. C. Secretario, de speciali gratia benigne commisit Emmo Card. Urbis Vicario, ut quatenus Preces veritate nitantur et Orator valeat ex propria conditione Indultum Oratorii privati assequi, eidem facultatem tribuat in ipso Oratorio tantum Sacrum faciendi cum usu fistulae pro sumptione Calicis; constituto tamen prius per legitimum documentum et experimentum quod nihil inde vel indecentiae vel periculi oriri possit.“ Contrariis non obstantibus quibuscumque. N. 5055 die 20. Novembris 1846.

SUPERIOR ORDINIS.

Vd.: *Regulares* (Officium; praecipue decr. n. 5023).

SUPPEDANEUM.

(Vicarii gen.)

Lauden.

Sub memoriali Provicario contra Capitulum. Suppedaneum Vicario non licere, de aliis videatur in proxima.

Die 24. Augusti 1624.

(Anal. J. P. 1863 pag. 168.)

Vd.: *Vicar. gener.* (sedes etc.).

SUPPELLECTILIA S.

1) Benedictionis facultas.

Vd.: *Vasa sacra; Paramenta* (bened.)

Bisuntina.

Sacra Rituum Congregatio, ad preces sororis Hubertae Franciscae abbatissae et monialium conventus Poligny pauperum capuccinarum ordinis s. Clarae et reformationis B. Colletae Bisuntinae dioecesis, facultatem indulsit earum confessorio pro tempore, benedicendi sacra suppellectilia ecclesiastica in quibus tamen sacra unctio non adhibetur pro usu tantum earumdem ecclesiae et de consensu ordinarii, ad triennium. Die 20. Martii 1686.

(Anal. J. P. 1865 p. 1279 n. 2300.)

Avenionen.

Sacra Rituum Congregatio facultatem indulsit Rmo Domino Archiepiscopo Avenionen. subdelegandi licentiam benedicendi in sua dioecesi sacra suppellectilia ecclesiastica, in quibus tamen sacra unctio non adhibetur sacerdotibus in aliqua dignitate ecclesiastica constitutis ad triennium. Die 21. Augusti 1688.

Ibid. pag. 1298 num. 2356.

Brixien.

Quidquid sit de antiquis privilegiis, quibus frui potuerint Abbates Regulares, habenda ob oculos sunt Decreta, quae instar legis generalis edita fuerunt jussu Alexandri VII. a Sacra Rituum Congregatione anno 1659 circa inferiores Praelatos, Pontificalium usu insignitos. In §§. enim 18. et 19. sic habetur: „Ecclesiasticam suppellectilem

pro servitio dumtaxat suarum Ecclesiarum vel Monasteriorum benedicant. Reliqua Pontificalia extra loca ipsis Abbatibus subjecta vel pro servitio alienae Ecclesiae aut in subditos pariter alienos, etiam de licentia Ordinariorum exercere non valeant, puta campanarum benedictiones, calicum et similium, in quibus sacra adhibetur unctio, nec non minorum Ordinum collationes. Deindeque anno 1670 instantibus Cassinensibus edita etiam fuit haec declaratio: Ad §. 19. qua vetita est Abbatibus benedictio sacrae suppellectilis pro usu alienarum Ecclesiarum asserentibus Monachis, etiam pro aliena Ecclesia ex apostolico Indulto eis licitum esse ecclesiasticam suppellectilem benedicere, Sacra Congregatio mandavit exhiberi Indultum authenticum ex Archivio apostolico desumptum ac interim abstineri, ut videre est apud *Monacell.* Formul. legal. tom. 2. Formul. 4. tit. 13. sub num. 33. et apud eundem *Eminentiss. Petram* ad Const. 9. Urbani IV. in fine. Observanda etiam videtur resolutio, quae ab ipsa Sacra Rituum Congregatione prodiit die 22. Septembris 1703 in Fulden. Concessionis Indulti. Inter plura enim dubia quaesitum primo loco fuit, an Abbatem Fuldensem ad facultatem benedicendi sacris vestibus vel consecrandi ea, in quibus sacrum Chrisma adhibetur, suffragaretur communicatio privilegiorum Congregationis Cassinensis, vel an ille juvari posset observantia immemorabili, si adesset. Fuit autem rescriptum: Affirmative vigore communicationis privilegiorum, nec non consuetudinis et in locis propriae jurisdictionis, ut refert *Eminentiss. Petra* tom. 3. ad Const. 2. Benedict. VI. sub n. 18. in fine.

Definiendum igitur erit:

An liceat Abbati Monasterii Stambensis Ord. Cisterc. non solum s. Su-

pellentilem benedicere, in qua s. unctio non adhibetur, sed etiam altaria consecrare et alia vasa s., in quibus adhibetur s. chrisma idque non tantum ad usum ecclesiae proprii monasterii sed etiam ad usum aliarum ecclesiarum?

S. C. C. resp.: Ad S. Congr. Rituum. Die 28. Nov. et 12. Dec. 1733.

Episcopus nequit delegare simplici Sacerdoti facultatem benedicendi sacra paramenta, nisi ad hoc habeat speciale privilegium Sedis apostolicae, a qua tamen interdum conceditur personis in Dignitate ecclesiastica constitutis, dummodo in eis non sit adhibenda sacra unctio vel oleum sanctum, quae ab ipso tantum Episcopo ordinato et consecrato benedicenda, inungenda et consecranda sunt, ut censuit Sacra Rituum Congregatio in Brixien. 9. Octobris 1616 in Imol. 4. Novembris 1615., in Januen. 12. et 14. Maji 1616, in Saonen. 3. Decembris 1616, in Taurin., in Pistor. et Tarvisina 2. Maji 1619, in Novar. 21. Martii 1620, in Tridentina 7. Augusti 1621 et in Caputaquen. 20. Julii 1730. Et de facto haec facultas benedicendi paramenta et ecclesiastica ornamenta et vasa, in quibus non adhibetur sacra unctio, fuit concessa diversis Archidiaconis, Diaconis, Archipresbyteris aliisque personis ecclesiasticis a Sacra Congregatione Rituum et signanter in Aquilejens. 20. Aprilis 1599, in Elven. 17. Maji 1600, in Laudunen. 20. Januarii 1603, in Zamoren. 15. Novembris 1603, in Meten. 18. Novembris 1606, in Ruthen. 9. Maji 1609, in Augustana 12. Aprilis 1614 et Gnesnen. 4. Septembris 1623 quod clare denotat, non posse Episcopum hanc facultatem concedere sine speciali privilegio Sedis apostolicae.

Massilien.

Cum Decanus Ecclesiae Massilien.

Decreta authentica. Tom. III. Pars II.

per supplicationem a Dataria ad Sacram Rituum Congregationem remissam petierit indultum benedicendi paramenta ecclesiastica, ornamenta et vasa, in quibus non adhibetur sacra unctio, pro usu praedictae ecclesiae et aliarum illi subjectarum stante absentia Episcopi; eadem Sacra Rituum Congregatio, absente Episcopo per biennium, gratiam petitam posse concedi censuit et declaravit et ita sub dicta supplicatione, quae parti restituta fuit, rescripsit. Die 14. Januarii 1606. (Anal. J. P. 1863 p. 52. n. 185.)

Ruthenen.

Archidiaconus majoris Ecclesiae Ruthenen., stante Episcopi absentia et ob maximam ornamentorum et paramentorum ecclesiasticorum copiam, quae in dies est necessaria, pro dictae majoris et aliarum ejusdem civitatis ecclesiarum usu et necessitate, petiit sibi concedi et indulgeri, ut quotiescumque contigerit modernum et pro tempore existentem Episcopum Ruthenen. vacare, omnia et singula vasa et alia ornamenta et paramenta ecclesiastica ad divinum cultum pertinentia, in quibus tamen non requiratur unctio sacra, pro dictae majoris Ecclesiae et quarumcumque aliarum, tam saecularium, quam regularium ecclesiarum dictae civitatis et dioecesis usu dumtaxat benedicere possit et valeat.

Congregatio Sacrorum Rituum censuit indultum petitum ut supra stante Episcopi absentia posse concedi ad annum seu per annum tantum. Et ita declaravit. Die 9. Maji 1609.

(*Ibid. pag. 94 n. 316.*)

Imolen.

Cum Episcopus Imolen. latam habeat dioecesim, nec sine magno incommodo curati et rectores dioecesani possint semper, quando opus est, ad civitatem Imolen. se conferre pro be-

nedicendis paramentis et aliis necessariis rebus pro servitio et usu ecclesiarum, a Sacrorum Rituum Congregatione petiit declarari: an ipse Episcopus possit hujusmodi benedictiones paramentorum delegare aliquibus suis vicariis foraneis protonotariis et in dignitate ecclesiastica constitutis; eadem Sacra Rituum Congregatio respondit posse Episcopum in casu necessitatis delegare personis in dignitate ecclesiastica constitutis benedictionem paramentorum et aliarum rerum pro usu ecclesiarum, in quibus non sit adhibenda sacra unctio vel oleum sanctum vel sacrum chrisma, quae ab Episcopis tantum sunt benedicenda, inungenda et consecranda. Et ita declaravit. Die 14. Nov. 1615. (Anal. J. P. 1863 pag. 139.)

Januen.

Cum Illmus et Rmus Dominus Cardinalis Spinula Archiepiscopus Januen. a Sacra Rituum Congregatione petierit licentiam, ut ipse et successores sui possint delegare et committere Vicario generali vel alicui ex dignitatibus Ecclesiae cathedralis simplices benedictiones vestium, paramentorum, corporalium et aliorum indumentorum pro celebrandis missis et ornandis altaribus, et Congregatio praedicta sub die 12. praesentis mensis Martii censuerit, gratiam praedictam posse concedi, si SSmo Domino Nostro placuerit; facto per Nos Sanctitati Suae de praemissis verbo in consistorio secreto, Sanctitas Sua annuit et concessit praedicto Illmo et Rmo D. Cardinali Spinulae Archiepiscopo Januen. praedictam facultatem delegandi et committendi Vicario suo vel alicui ex dignitatibus suae Ecclesiae cathedralis licentiam benedicendi vestes, paramenta et indumenta sacerdotalia et alia, in quibus sacra unctio non adhibeatur, ad sexennium. In quorum omnium et

singulorum fidem et testimonium praesentes per infrascriptum nostrae Congregationis Secretarium fieri jussimus, manu nostra subscripsimus et soliti nostri sigilli impressione muniri fecimus. Hac die 14. mensis Martii 1616. (Ibid. pag. 139.)

Gnesnen.

Congregatio Sacrorum Rituum Archiepiscopo suprascripto facultatem delegandi benedictiones paramentorum ecclesiasticorum et vasorum, in quibus sacra unctio non adhibetur, indulgentiam censuit. Die 4. Septembris 1621. (Ibid. pag. 163.)

Sanctae Fidei in Indiis.

Pro Archiepiscopo contra Patres Jesuitas, referente Illmo Sacrato: „Posse patres Jesuitas benedicere paramenta et alia etc., in quibus non adhibetur sacra unctio pro servitio propriorum collegiorum. Pro servitio vero aliorum non licere, et ubi adhibetur sacra unctio, neque pro aliorum servitio etc. Die 19. Februarii 1622. (Ibid. pag. 165.)

Manilen.

Alias Archiepiscopus s. Fidei in Indiis occidentalibus narrans, quod patres societatis Jesu et alii superiores ordinum ss. Dominici, Francisci, Augustini benedicunt corporalia, pallas et reliqua alia ornamenta ecclesiastica, nec non consecrant calices et aras non solum pro suis, sed etiam pro aliis ecclesiis inconsulto ipso Archiepiscopo et in sua dioecesi residente sub praetextu privilegii obtenti a Sacra Congregatione. Sacra eadem Congregatio audito procuratore generali dictae societatis Jesu, hujusmodi decretum, videlicet, posse praelatos et reliquos patres Jesuitas benedicere paramenta et alia ornamenta ecclesiastica, in quibus non adhibetur sacra unctio, pro

servitio propriorum collegiorum tantum, pro aliorum vero servitio non posse; ea vero, in quibus adhibetur sacra unctio, neque pro ipsorum neque pro aliorum servitio posse benedicere vel consecrare et ita decretum fuit 19. Februarii 1626. Et eadem S. Congreg. praedictum decretum etiam quoad religiosos ss. Dominici, Francisci et Augustini ac B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum extendi debere censuit ac declaravit die 22. Martii 1626. Modo Archiepiscopus Manilensis Metropolitanus Insularum Philippinarum idem narrans, supplicavit responderi; et S. Congregatio respondit, concedendum esse ibi idem decretum de quo supra. Die 4. Julii 1626.

(Anal. J. P. 1863 pag. 188.)

Burgen.

Cum Capitulum et Canonici Burgenes peterent ob amplitudinem dioecesis concedi licentiam Decano Capituli vel eo legitime impedito proxime sequenti dignitati benedicendi vasa et ornamenta ecclesiastica, et alia faciendi, quae fuerunt denegata, excepto tantum praedicta facultate benedicendi ea, in quibus non requiritur sacra unctio, pro qua dictum fuit scribi Archiepiscopo pro informatione, sed data supplicatione, in qua inter supplicantes exprimitur etiam ipse Archiepiscopus, Sacra Congregatio concessit ipsi Archiepiscopo facultatem praedictam benedictionem tantum delegandi ipsius Archiepiscopi dumtaxat vita durante. Die 18. Julii 1626.

(Ibid. pag. 190.)

Carnoten.

Robertus Bouet Decanus et Canonicus Ecclesiae Carnoten. petiit similem facultatem benedicendi ornamenta et paramenta ecclesiastica et reconciliandi loca sacra polluta in absentia

Episcopi. Et Sacra Congregatio respondit idem quod supra videlicet, concedi licentiam benedicendi in quibus non adhibetur sacra unctio. Die 22. Augusti 1626.

(Ibid. pag. 190.)

Lucionen.

Emericus Episcopus Lucionen. petiit concedi Decano suae Ecclesiae indultum benedicendi omnia ornamenta ecclesiastica et reconciliandi ecclesias et alia loca sacra polluta. Et Sacra Congregatio concessit facultatem benedicendi dumtaxat paramenta sacra, in quibus non requiritur sacra unctio. Die 22. Augusti 1626.

(Ibid. pag. 191.)

Meten.

Nicolaus Mandarus Canonicus terrae Martal. Meten. dioecesis et pro duce Lotharingiae Capellanus in Castro Selino, nec non perpetuus Beneficiatus Ecclesiae parochialis Boiani Tullen. dioecesis supplicavit pro indulto benedicendi ornamenta et paramenta tam suae ecclesiae quam vicinorum. Et Sacra Congregatio concessit, habito consensu ordinariorum. Die 12. Julii 1628.

(Ibid. pag. 204.)

Spoletana.

Episcopus Spoletanus petiit concedi licentiam suis Vicariis foraneis sive Prioribus Collegiatarum Nursiae, Cassiae, Vissi Cerrati, Leonissae, Ispelli, Trevii, Bevaniae et Montis Falci, benedicendi paramenta et vestes sacras, in quibus non adhibetur sacra unctio. Et Sacra Congregatio respondit: Nihil. Die 10. Februarii 1629.

(Ibid. pag. 210.)

Maclovien.

Vicarius generalis Episcopi Maclovien. supplicavit prorogari sibi licentiam jam obtentam et exspiratam be-

nedicendi paramenta ecclesiastica. Et Sacra Congregatio concessit pro certo tempore. Die 18. Augusti 1629. (Ibid. pag. 215.)

Remen.

Arrigus abbas monasterii s. Dionysii Remen. dioecesis, asserens se habere indultum pro se et successoribus utendi mitra et baculo, supplicavit pro licentia pariter pro se et successoribus benedicendi cruces, imagines et paramenta ecclesiastica. Et Sacra Congregatio concessit, dummodo non adhibeatur sacra unctio. Die 18. Augusti 1629.

(Ibid. pag. 215.)

Ebroicen.

Supplicatum fuit Sanctissimo pro licentia in personam Decani cathedralis Ebroicen. et Episcopi Vicarii generalis benedicendi paramenta et ornamenta ecclesiastica, nec non patenas et alia vasa ad divinum cultum necessaria, stante absentia Episcopi a sua dioecesi. Et S. Rituum Congregatio concessit durante absentia Episcopi pro illis tantum rebus, in quibus sacra unctio non requiritur, praesente vero Episcopo, non nisi de ipsius consensu, ut supra. Die 18. Januarii 1631.

(Ibid. pag. 226.)

Remen.

Prior et monachi s. Benedicti Remen. dioecesis exponentes eorum monasterium longe distare a residentia Ordinarii et ut plurimum ordinarios non esse sacris initiatos et ob id egere suam ecclesiam paramentis ecclesiasticis ad divina peragenda, supplicarunt pro licentia benedicendi paramenta et ornamenta ecclesiastica, nec non reconciliandi ecclesias et coemeteria polluta. Et S. Congr. attentis narratis concessit pro his tantum rebus, in quibus non requiritur sacra unctio. Quod vero ad ecclesias pollutas non consecratas, aqua

per Episcopum benedicta, ecclesias vero consecratas non posse nisi per Episcopum reconciliari. Die 22. Martii 1631. (Ibid. pag. 228.)

Malleacen.

Joannes Piet officialis Malleacen. exponens se praeesse quatuor Ecclesiis parochialibus existentibus in insula in mari Oceano et ob id non esse tutum accessum adeundi Ordinarium, circumscripta etiam distantia loci, supplicavit pro licentia benedicendi vestes et paramenta ecclesiastica, stante consensu Vicarii; et Sacra Congregatio attentis narratis concessit. Die 5. Julii 1631.

(Ibid. pag. 238.)

Parisien.

Praepositus generalis Congregationis Oratorii Jesu Christi Domini Nostri civitatis Parisiensis, supplicavit concedi sibi et successoribus praepositis benedictionem paramentorum et aliorum suppellectilium ecclesiasticorum, in quibus non adhibetur sacra unctio; idemque concedi etiam superioribus cujuscumque domus dictae Congregationis; et Sacra Congregatio annuit et mandavit Ordinarios locorum delegare benedictionem petitam praeposito, successoribus et superioribus locorum, in quibus adsunt domus seu oratoria praedictae Congregationis, pro usu tantum propriarum domorum seu oratoriorum. Die 3. Aprilis 1632.

(Ibid. pag. 241.)

Veronen.

Archipresbyter loci Brentenici Veronen. dioecesis exponentes ex elemosynis parochianorum suorum providisse ecclesiam suam de diversis paramentis, nempe pluvialibus, planetis, tobaleis et similibus ad divinum cultum necessariis, supplicavit impertiri sibi licentiam dicta paramenta benedicendi,

in quibus non adhibetur sacra unctio, stante quod Ecclesia sua parochialis distat a cathedrali per quadraginta milliaria. Et Sacra Congregatio attentis narratis concessit. Die 2. Aprilis 1632.

(Ibid. pag. 241.)

2) Cardinalium, Episcoporum etc. cui competunt post mortem?

Vd.: *Utensilia sacra Cardin.*; *Paramenta Episcopi.*

3) Materia.

Vd.: *Paramenta (materia)*; *Vestes eccles. (materia).*

4) Munditia.

Vd.: *Ecclesia (munditia)*; *Munditia Eccles. etc.*; *Sacrista*; *Paramenta (qualitas).*

5) A Parochis non administranda.

Parochi alique Ecclesiarum Rectores adigi non possunt ad ministranda suppellectilia Sacerdotibus ibidem ex obligatione celebrantibus. *Barbos. in Summ. dec. apostolic. verb. Curatus num. 3.*, *S. Congregatio in Derthonen. 6. Julii 1626 ad II. dub.*

(Ex resol. C. C. diei 20. Augusti 1774. *Praenestina.*)

6) Pecuniae solvendae.

(Obligatio.)

Camerinen.

In pastorali visitatione sub finem anni 1737 habita dependens Episcopus magnos sumptus, quos Sacrarium Collegiatae Ecclesiae s. Mariae Oppidi Matelicae pro ministrandis utensilibus ad quotidianam Missarum celebrationem necessariis obstrictum est sustinere, decrevit: „Che tutti li Rettori, Capellani ed altri Sacerdoti, che celebreranno nella detta Chiesa Collegiata per adempimento dellij Legati perpetui et ad tempus, paghino un bajocco per Messa da applicarsi per mandamento delle Sagre Supe-

lettili della Sagrestia, non eccettuando alcuno benche Canonico, anzi dichiarando, che questi tanto della Massa vecchia, quanto della Massa nuova, o siano aggiunti, debbano onninamente pagare come sopra, non essendo però li Canonici medesimi compresi nel presente per la celebrazione delle Messe capitolari, ed altri oblighi annessi alli loro Canonicati“.

Detrectantibus autem Capellanis, aliisque Sacerdotibus onere celebrandi Missas in dicta Ecclesia gravatis ejusmodi decreto obtemperare, Capitulum e re sua duxit sacrum hunc adire Consessum, in quo discussis sub die 28. Januarii proxime praeteriti duobus dubiis:

I. An Capellani et alii Sacerdotes etiam Canonici celebrantes in Ecclesia Collegiata sanctae Mariae Terrae Matelicae pro adimplendis oneribus Missarum propriis Capellaniis, vel sibi ipsis alio titulo, quam ratione Canonatus incumbentibus, teneantur contribuere Sacristiae dictae Ecclesiae pro sacris suppellectilibus? Et quatenus affirmative.

II. Quanam taxa sit servanda in casu etc.

Eminentissimi PP., dilata eorum decisione jusserunt scribi Episcopo juxta instructionem, qua scilicet ei demandaretur, ut firmato statu tam activo, quam passivo Sacrarum et computatis praesertim emolumentis eidem Sacratio provenientibus sive ex cera sive ex funeribus, distinctam unam cum utroque praedicto statu transmitteret relationem onerum, reddituum et antiquitatis Capellaniarum, quae in dicta Collegiata reperiuntur erectae.

Literis juxta hanc mentem datis obsequens Episcopus Vicario suo generali commisit, ut auditis Capitulo et Capellanis collitigantibus, inspectisque libris, in quibus redditus et emolumenta omnia Sacratio obvenientia, nec non

sumptus et debita, quibus illud obnoxium reperitur, uterque status firmaretur, cumque id fuerit adimpletum, ex foliis ab eodem Episcopo huc transmissis relatisque in *Summ. Capituli n. 1 et 2.* apparet, statum activum Sacrarum ad annua scuta 129. 95., passivum vero ad scuta 187. 35. ascendere. In alio autem folio, quod pariter transmisit Episcopus et datur in eodem *Summ. Capituli num. 7.* Capellaniae, Beneficia et Legata Missarum, quae debent in dicta Collegiata Ecclesia persolvi, una cum ipsorum redditibus distinctim recensentur et ab illo colligitur, omnibus ferme Capellanis sive Beneficiatis emolumentum aliud ultra annualem Missarum elemosynarum superesse.

Cum itaque Capitulum novis hisce documentis innixum causae hujus definitionem alacrius urgeat, ad magis comprobendam Sacrarum inopiam, plura in facto addit animadversione digna; primo, quod annua scuta ab Archiepiscopo Bracci Capitulo relicta sub onere ea erogandi in *utilitatem Sacristiae sive ipsiusmet Ecclesiae* debeant in restaurationem Ecclesiae ruinam minantis impendi proindeque demi e statu activo Sacrarum; secundo, quod itidem nequeant in dicto statu activo computari annua scuta 94., quae ex funeribus ac Baptismi administratione percipiuntur, eo quia ad Capitulum et Canonicos pertineant et inter ipsos consueverint distribui; tertio, quod e statu passivo delenda quidem sint scuta 25., quae a Capitulo, non autem a Sacrarum solvuntur in compensationem emolumentorum funeralium et aliorum, quae Parochus cedit Capitulo pro enunciatis annuis scutis 25., sed addit e contra debeant eidem statui passivo scuta triginta pro consumptione sacrae suppellectilis necessaria. Ex his autem omnibus contendit Capitulum evinci, quod annuae Sacrarum expensae ipsius

reditum in summa sc. 169. 45. certo certius excedant.

Quia vero memorati Capellani et Beneficiati ut se liberarent ab onere contribuendi pro sacris suppellectilibus, nedum opposuere Sacrarum opulentiam, sed longaevam quoque et immemorabilem consuetudinem, juxta quam affirmant, se nunquam enunciato oneri succubuisse, proinde praeter ea, quae in folio diei 17. Decembris 1740 circa primum Capellanorum fundamentum adnotata sunt, abs re non est indicare, Sacram hanc Congregationem in Tuderina inter supplices libellos proposita rescripsisse: Rectores Capellanorum in cathedrali Ecclesia existentium teneri omnino utensilia solvere, tametsi ipsis eorumque Antecessoribus omnia necessaria pro Missarum celebratione fuissent a Capitulo ejusdem Cathedralis usque ab immemorabili tempore subministrata, ut in lib. 72. decr. pag. 158.

Omnibus itaque perpensis, onus erit EE. VV. respondere.

I. An Capellani et alii Sacerdotes etiam Canonici celebrantes in Ecclesia Collegiata sanctae Mariae Terrae Matelicae pro adimplendis oneribus Missarum propriis Capellanis vel sibi ipsis alio titulo, quam ratione Canoniciatus incumbentibus, teneantur contribuere Sacristiae dictae Ecclesiae pro sacris suppellectilibus? Et quatenus affirmative.

II. Quae taxa sit servanda in casu?

S. C. C. resp. ad I: Affirmative. Ad II: Servandam esse taxam juxta morem regionis. Die 9. Sept. 1741.

7) Tractatio.

Vd.: *Vasa s. (tractatio).*

8) Usus pretiosorum.

Canonicus adhibere non potest suppellectilem valde pretiosam cum propriis insignibus, quando celebrat

solemniter praesentibus Canonicis et aliis de Capitulo. N. 971 die 15. Decembris 1632.

SUPERPELLICEUM.

1) In Administr. Sacramentorum.

Vd.: *Stola* (Administr. Sacramentorum.); *Stola* (in extr. Uncione); *Stola* (in Sacram. Poenitent.); *Canonici* (administr. Sacrament.); *Stola Parochorum*; *Visitat. (de Poenitent. Olei infirmorum.)*

2) Adorantium SSmm.

Vd.: *Instructio Clem. §. VII. n. 2. 3., §. IX. n. 1 etc. 12 etc.*

3) Canonicorum.

Ci.: Rocchettum. Manica; Canonici (adm. Sacrament.); *Processio* (Canonici cath. parati, praecipue decr. n. 2869.)

Canonicis habentibus usum cappae magnae licet cessante consuetudine, in choro et in canonicalibus functionibus uti superpelliceo super rocchettum. N. 2808 ad 1. die 16. Jan. 1677.

Ad dub.: An liceat uti ad eorum libitum dicto superpelliceo supra rocchettum promiscue cum cappa magna, tam aestivo quam hiemali tempore?

S. C. resp.: *Tempore congruo.* N. 2808 ad 2. die 16. Januarii 1677.

Canonici etiam in publicis supplicationibus seu processionibus et exequiis defunctorum uti possunt superpelliceo. N. 2808 die 16. Jan. 1677.

4) In Choro.

Ad dub.: An Presbyteri Ecclesiae Vulturariae teneantur canere Missas, anniversaria defunctorum et alia divina officia in ecclesia et choro cum superpelliceo, veste talari et bireto clericali?

S. C. C. resp.: Affirmative. Die 30. Januarii 1723.

5) Confessarii.

Vd.: *Stola Confessarii; Stola in Poenit. Sacram. administr.*

6) Diaconi in processione SSmi.

Vd.: *Processio SSmi Regul.* (modus decr. n. 4130 ad finem.)

7) In processione.

Vd.: *Process. SSmi Regul.* (modus decr. n. 4130 ad finem); *Processio* (Canonici Cath. parati praecipue decr. n. 2869).

8) Regularium.

Burdigalen.

Monachi monasterii s. Salvatoris de Baia ordinis s. Benedicti Burdigalen. dioecesis S. Congregationi supplicarunt, eis in functionibus ecclesiasticis usum superpellicei indulgeri. At S. Congregatio jussit ab Oratoribus servari regulae ordinationes. Die 17. Nov. 1657. (Anal. J. P. 1863 pag. 343.)

Urbis et Orbis.

Instantibus caeremoniarum magistris SSmi, Sacra Rituum Congregatio jussit Emmo Vicario curam demandari, ne regulares utantur, loco superpellicei, rocchetto cum manicis angustis. Die 17. Novembris 1657.

(Ibid. pag. 344.)

9) In Tonsura et ordinib. minorib. confer. adhibendum est.

Vd.: *Rocchettum* (vestis s. non est; Canonorum decr. diei 10. Januarii 1852.)

SURDO-MUTI.

Preces ab eis recit. pro indulg. lucrandis.

Vd.: *Visitat. Eccles. pro lucr. Jubilaeo.*

Decretum Urbis et Orbis ex audientia SSmi, die 15. Martii 1852.

Cum ad indulgentias acquirendas persaepe contingat, ut inter praescriptas conditiones, vocales quoque preces injungantur, postulante Emmo et Rmo Domino Cardinale Jacobo Aloisio Bri-